Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26937
Copyright: Admont, Benediktinerstift

radices profecto bonitatis. necesse fuit illo transplantare. Primum a Gunthero marchione de Cylie captus et vinculatus et equo indecenti asportatus, indigna multa sue persone seu ordini perpessus, adeo fatigatus est, ut vitalia ei rumperentur. Pro cuius sceleris compositione et anathematis absolutione idem marchio predia quedam sancto Rudberto contulit. ecclesiam vero sancti Martini ad superius Strahganch cum subiacente predio ob gratiam domni Wolvoldi nobis delegavit. ac sepulture locum in quo nunc quiescat apud nos elegit.

Nota optime bene de abbate Wolvoldo [illegible] factum in Karinthia apud [illegible] [illegible]

Secreto a senioribus suis Odalrico custode, Odalrico Elsindorf et Wyntilone, percepit idem pater penes congregationem sinistram se incurrisse opinionem, pro frequenti visitatione monialium, quarum commodis, utilitatibus et eruditioni, utpote primus cultor novelle plantationis illius, continue studuit invigilare. Quo audito, noluit quidem vir prudentissimus bonam conscientiam suam precipitare, verum eisdem obiurgatoribus suis, quod vel de stupro illum purgari, vel loco pastoris cedere iam deliberaverat, cum omni modestia se promisit responsurum tertia die. Qua veniente, peracto misse officio, abbas cum tribus fratribus illis equos ascendit, et adiacentem ferri fodinam Plabch accessit, ubi iam in fornace massa ferri coquebatur. Os igitur fornacis aperiri iubet, massam forcipibus educi, super incudem mitti. Ceteris remotis omnibus, presentibus solis tribus fratribus, ille trium puerorum imitator purissimus, de obiectione stupri sese purgaturus, nudatis manibus candentem massam apprehendit, in aera tollit, stupentibus qui aderant ac recedentibus, licet fieri non posset, capiendam protendit, tandem sine omni lesione super incudem remisit. Arduum hoc abolendi generis forma purgationis inaudita, non minus quam virginei corporis inferventis olei dolium missi sospitas admiranda.